

intus quoque præ se ferant,) & coloris fusci, figura modicè inflexa costarum instar. Ego hunc vnum tantum duos pollices longum vidi. cōiycio autem hunc tantum esse, qui in saxis è quibus Cotes aquariæ fiunt, inueniri ab Agricola scribitur. ea enim colore & substantia refert.

Quod ad facultatem attinet, nõ dubito quin ad multos affectus egregiè faciãt, albi præsertim illi ac probè maturi, si medici cū ratione experiri velent. Sed nimia plerorumque inertia & ignauia est, multorum etiam stoliditas, qui vetera solùm retinenda aiunt, noua experimenta non facienda, tanquam periculosa. immò ne vetera quidem, si à Galeno aut illis quos sequuntur, medicis nõ tradita, paucis, vel plebi & rusticis fortè tantum in vsu sint, faciliè admittunt. Ego Ammosteorum vim ad ossa consolidanda, & chirurgis vulgaribus & agris illis quoque illiteratis hominibus à